

Cantoratus, atque anno MDLXXXI ex-  
eunte Rectoratus eiusdem scholae ei dela-  
tus est, quem per integros XVII annos,  
magna cum fide, dexteritate, fructu, et  
omnium bonorum approbatione gessit, et  
per illud tempus multos, e disciplina sua  
emissos, cum in patria, tum alibi, ad mu-  
nera publica cum laude admotos vidit. In  
quo illud maxime in viro optimo amaui-  
mus, seu potius admirati sumus, quod,  
cum videret, labores scholasticos, in tenui  
quamuis fortuna, sibi recte succedere, non  
imitatus est multorum ex hoc vitae genere  
vel arrogantiam, vel auaritiam, vel etiam  
sotordiam, qui, cum vix admoti sunt ca-  
thedrae scholasticae, statim abitum e schola  
in ecclesiam parant, certe meditantur, vt  
vel maiores titulos impetrent, vel in re lau-  
tiori constituentur, vel denique molestiae  
suae prouinciae, sibi minuuntur; sed con-  
tensus sua forte voluit totam vitam in um-  
bra scholae transigere. Idque eleganti quo-  
dam carmine, quo augmenta nonnulla sa-  
larij ab sacro senatu Meinungensi petiit, di-  
serte professus est, hoc versu finiens:

A 4

Quid-